

# <sup>6</sup>MARCELLVSTEGALLIANVVS

D U X II.

*Creatus Anno 717. Cornu posuit 726. cum sedisset  
Annos 9. Dies 21.*

ANTIQVA INSCRIPTIO A MAIORIBVS POSITA.

*Patriarcham Gradi defendi, Luitprandi arma repres si.*

II



**V**rbem Venetam ad folius Ecclesiæ firmamentum in  
Aquis posuisse Deum, ne dubites, secundum respice  
Venetorum Principem Marcellum Tegallianum.  
Ex Equitum Magistro ad Principatum vocatus, co-  
mitiis Heraclææ habitis, ubi natalia subiit; rogante  
Gregorio II. R.P. propulsata violentia Patriarchæ Aquileienfis, qui  
Longobardorum phalangibus Gradenfem angariabat Ecclesiã,  
Luitprandum valida classe comprimit lascivientem. Ita pacem  
Religione quæsiuit, iustitia servavit, quibus comitantibus secessit  
in sepulchrum Heraclææ positum, Anno sui Principatus ix.

*Petrus Iustinian. Sabellicus. Sansovinus, Marcellus.*

HOR.